



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon
Prussiae**

Petrus <de Dusburg>

Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679

Cap. CCXLI. De Depraedatione terrae Poloniae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11850

Conradus à Feuchtwangen X. Mag. Gen. Ord. Teuton.
Meneko de Quersfurt XII. Mag. Prov. in Prussia.

ANIMADVERSIO.

(a) Onkam, legit Strykowski, Schuzius & Jerofchinus. In Durburgio modò legitur Oukajin modò Oykain.

CAP. CCXLI.

De

Deprædatione terræ Poloniae.

Lutuvverus Rex Lethoviæ etiam hoc anno filium suum (a) Vithenum cum maximo Exercitu misit versus Poloniam ad terram Bristensem & post multa damna ibidem facta in occisione & captione hominum incendio & rapinâ, Casemirus & (b) Lochoto Duces Poloniae anxii de salute suorum, supplicaverunt fratri Menekoni Magistro Pruschiae, pro subsidio; qui cum magno exercitu veniens, dum dictos infideles inciperet impugnare, præfati Duces, cum omnibus suis terga verterunt; quo viso fratres perterriti, non habentes potentiam resistendi tantæ multitudini, recesserunt etiam, sed non sine magno periculo suorum, quia multi fratres & alii Christi fideles fuerunt graviter vulnerati, antequam honestè possent à dicto certamine declinare.

ANIMADVERSIONES.

(a) Vitènes hic, ut referunt Historici Lithvanici, non fuit Regis aut M. Ducis Lithy. filius; Sed natus est Erogailæ quod est Samogitiæ oppidum, ex Parentibus ad Cæsarinum Columnam genus suum referentibus. Ob egregiam verò Indolem in Troidemi M. Ducis Lithvaniæ familiam puer assumptus, adolescens munere cubiculi præfecti, Vir denique dignitate Marschalci ornatus est. Donec tandem Lauro (Troidemi filio Monasticam vitam agente) auctore, Magnus Dux creatus est. De Putivero nihil norunt Scriptorum Lithvanici. Vid. Matth. Strykovski Ofsostevicius lib. IX. *Histor. Lithvan. cap. IV. pag. 365.* Albert. Wijuk Kojalovvicz part. I. *Hist. Lithv. lib. V. fin. & lib. VI. in pr.* Ego tamen puto Petro Dusburgio,

*Conradus de Feuchtwangen X. Mag. Gen. Ord. Teut.
Meneko de Querfurt XII. Mag. Provinc. in Prussia.*

gio, ut scriptori *συγγραφεύς*, fidem esse habendam potius, quam scriptoribus illis Lithvanicis recentioribus. Consentunt eum Dusburgio Nicolaus Jerofchinus *fol. 157. fac. 2.* Auctor Chronici antiqui Idiomate Germanico circa Annum 1430. scripti. Stryovvius etiam ipse in sua Dusburgii versione legit Utinverus.

(b) Chronicon Germ. antiquum habet *Łošet*. Exemplar Elbingense habet Lechoto. Est autem Uladislaus Lokietko sive *Łocikus* Rex Poloniae. *Vid. animadvers. ad cap. 350.*

CAPUT CCXLII.

De

Mirabili liberatione fratrum in quodam exercitu.

ANno Domini 1292. Magister sollicitus circa injunctum sibi officium, & infidelium destructionem, congregato magno Exercitu fratrum & armatorum, venit ad terminos Lethovinarum. Ubi quidam Pruthenus accessit ad fratrem Henricum (a) Zutsvert, dicens: Traditus tu es, & fratres tui, si intraveritis terram Lethovinarum, ipsi congregati expectant vos, nec aliquis ex vobis poterit evadere morrem. Si reversi fueritis, vestri in reditu vos occident. Respondit frater Henricus si hæc ita se habent consule nobis quod tutius sit agendum. Cui ille: Redite ad partes vestras armati, si fortè defensionem vestram timeant & à conceptâ malitia respiscant. Hoc facto frater Henricus Magistro hæc omnia revelavit, qui de consilio fratrum misit exploratores ad terram Lethovia, qui reversi invenerunt præmissa omnia vera esse. Undè Magister jussit præconizari, ut omnes in reditu armati incederent, & misit occultè & successivè pro his, qui auctores hujus traditionis fuerant principales, & commisit singulos fratribus, qui ipsos, ne evaderent, custodirent.